Dissertatio Medica Inauguralis
DE
HYDROPE,
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri
D. GULIELMI WISHART, S. T. D.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
et Nobilissimæ Facultatis MEDICÆ Decreto;
Pro Gradu DOCTORATUS,
Summisque in Medicina Honoribus, ac Privilegiis, rite et legitime consequendis,
ERUDITORUM Examini subjicit
JOANNES TAITT *Scoto-britannus*, A. et R.
Ad diem 7m Julii, in Bibliotheca Academiæ Edinburgensis,
Hora Merid.

EDINBURGI:
In Ædibus R. FLAMINII, M.DCC.XLVI.

Illuſtriſſimo, potentiſſimo, ac nobiliſſimo Principi,

FRANCISCO

Duci de BUCCLEUCH,

Comiti de DALKEITH et DONCASTER,
Domino SCOTT de *Whitecheſter*,
Eskdale et *Tindale*, &c. &c.

Gentis SCOTTORUM Principi digniſſimo:

NEC NON

Nobili ac potenti Comiti

FRANCISCO

Comiti de *Dalkeith*, Domino SCOTT de *Whitecheſter*,
Eskdale et *Tindale*, &c.

Diſſertationem hanc Medicam Inauguralem,

Summo eo, quo par eſt, Obſequio ac Veneratione,

Sacram eſſe vult

JOANNES TAITT.

Dissertatio Medica

INAUGURALIS

De HYDROPE.

QUI de re medica, hoc est, re ad generis humani salutem spectante, verba facere vult; ei utique incumbit, fraude omni seposita, atque fuco, non vana nugantis cerebri figmenta, mentisve otiosæ proludia, immo non Vero tantum similia, sed, quantum ex se est, Vera ipsa proferre.

Id ipsum autem quidem in rebus medicis Verum, quamvis a nobis semotum longe atque sejunctum sæpe lateat, neque ad id facilis pateat via, longæque sint ambages; nihilominus tamen, ad loca læta nos tandem perventuros, sperare licebit, si Naturam, ut dominam, intentis oculis respiciamus, ducemque sequamur, ejusque filo, cæca nostra regere velimus vestigia: eam autem si deseramus, aliumque nobis adsciscamus ducem, per multa devia errantes, atque mille tædia passi, aut vana nos spe elusos, sero tandem mœsti sentiemus, aut pro JUNONE nubem stolidi amplectemur.

Cum autem mortalium nemini, hoc fælicitatis, unquam aut contigerit, aut contingere possit; videre scilicet, in omnibus, quid moliatur Natura, quibusque passibus progrediatur; in multis certe nos latet, semperque latebit, Veritas.

Ubicunque vero se præbet videndam bona Natura, eam læti intueamur; diligenterque, quid moliatur, notemus.

Vitæ quidem noſtræ brevitas, et officia, nos artem lon-
gam, ex propriis obſervatis, ediſcere non ſinunt. Quocirca
quæ ab aliis obſervata fuere, fideliterque deſcripta, ea nobis
diligenter perſcrutanda; atque ex fidis hiſce naturæ interpre-
tibus, magna ſcientiæ medicæ pars haurienda.

Cum vero, ex inſtituto Academico, Thema quoddam Medi-
cum mihi tractandum eſt; mecum ſeriò tacito pectore revol-
venti, de quo potiſſimum dicerem, diu dubius hæſit animus.
Quando enim reputaram, quæ, quantaque, a viris omnis gene-
ris doctrina claris, ſummaque laude dignis, in lucem edita
ſunt; atque, aut ab illis prius dicta repetenda; aut vilia, nulli-
uſque pretii mea evulganda; opus quidem lubens defugiſſem,
niſi aliter juberent Academiæ leges. Hiſce autem legibus ut
morem geram, de *Hydrope* pauca dicam: eaque non nova
quidem, et hactenus inaudita; ſed, ut plurimum, ex vene-
randis antiquorum monumentis eruta; atque recentiorum
obſervatis et inventis, potius quàm ex proprio penu, de-
prompta.

Et, Mehercle, rem præclare ſatis geſſiſſe mihi videbor;
ſi virorum in arte principum ſenſum aſſequi; atque illis non
indigna; et doctiſſimis medicinæ Profeſſoribus non diſplici-
tura, proferre, fœliciter mihi obtigerit. Mecum enim habi-
to, et novi *quam ſit mihi curta ſupellex*.

Grave imprimis eſt malum, de quo agitur, et toleratu dif-
ficile. Vocatur Ὕδρωψ, Ὑδρώπισις, et Ὕδερος, a medicis * Græ-
cis. A Latinis vero Hydrops, Hydropicus morbus, vel Aqua
inter cutem †.

Morbus hic eſt, ſeri aquoſi extra vaſa fuſi, et cavitatibus
recepti, collectio: vel ejuſdem ſeri, vaſa ſua nimium diſten-
dentis, ſtagnatio. Qui, vel totum corpus, occupat, vel
partem tantum aliquam ſingularem: ut Caput, Pectus, Peri-
cardium, Ovarium, Uterum, &c.

De

* Hippocrates de intern. affect. Aretæus de ſignis et cauſis diuturn. morb. lib. 2.
cap 1. Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 48. † Celſus de medicina, lib. 3.
cap. 21.

De his omnibus dicere, longum foret; meque ultra limites hujus generis oratiunculæ traheret. De præcipuis igitur tantum hujus morbi ſpeciebus breviter dicam.

Species autem hæ præcipuæ tres vulgo numerantur.

Prima quidem eſt, quando toto eo ſpatio quod inter Peritonæum et inteſtina vacuum eſt, multa aqua coït, unde totum Abdomen diſtenditur. Græci eam ſpeciem Ασκιτην appellant *.

Secunda ſpecies eſt, quando Abdomen plurimus flatus, onerat, et diſtendit. Quod vitium Τυμπανιτης Græcè dicitur. Quamvis hæc non ita proprie inter Hydropis ſpecies recenſeri debet; cum non ſit tumor aquoſus, ſed flatulentus. Tamen quoniam, cum propter cauſas quibus ortum debet; tum propter medendi methodum; multa habeat, cum reliquis ſpeciebus, communia; vulgatam diviſionem retinere placuit.

Tertia ſpecies, ubi Lympha in toto corporis habitu ſtagnat, vel effunditur; dicitur Ανασάρκα, Υποσάρκα, Κατασάρκα, ΛευκοΦλεγματια, Σαρκιτης, Υποσαρκιδιος, aut Επισαρκιδιος. ARETÆUS † quidem, inter Anaſarcam et Leucophlegmatiam, diſtinguit. Aſcitem, illum morbum appellat, ubi totum corpus ex alba, craſſa, et frigida Pituita intumeſcit: ubi autem in humorem ſanguineum, aquoſum, tenuem, carnes liquatæ fuerunt; Hydrops Anaſarca, morbus ab eo dicitur. Alii autem, antiqui, et recentiores medici, tres tantum Hydropis ſpecies ſtatuunt.

Hydrops quidem eſt omnibus communis calamitas. Viris, mulieribus, cuicunque ætati. Alii autem in aliam ſpeciem ſunt propenſiores: In Anaſarcam pueri; juvenes autem, ad conſiſtentem uſque ætatem, Aſciti magis ſunt obnoxii. Senes quidem omnibus ſpeciebus ſunt expoſiti: verum ad humoris multitudinem contrahendam apti non ſunt: ipſis igitur Tympanias accidere conſuevit. Mulieres quoque huic morbo magis obnoxiæ ſunt quam viri ‡.

Cauſa

* Hippocr. Paul. Æginet. &c.

† Aretæus, lib. 2. cap. 1.

‡ Sydenham de Hydrope.

Causa Hydropis, est omne id, quod serum aquosum in corpore nimium auget.

Huc faciunt præcipue. Dispositio nativa, nimis humida et laxa, accedente simul vita sedentaria; unde liquidum vitale in aquosum laticem degenerat; vasa relaxantur, secretiones impediuntur; adeoque magna moles humoris aquosi accumulatur. Potus nimius frigidæ subitus; præcipue cum æstate, præ nimia siti, ad saturitatem quispiam multam aquam gelidam ingurgitaverat †, quam neque vomitu, neque alvo, neque urina vel sudore eliminavit. Nimius quoque acrium fermentatorumque liquidorum usus *: qui viscerum, jecoris præcipue obstructiones, et mille mala, parit. Victus ex tenacibus, durisque: quæ, cum a viribus vitæ, in bonum succum, mutari vix possunt; diuturnus eorum usus obstructiones viscerum facit. Quædam etiam artificia, et vitæ genera, ad Hydropem suscipiendum, quam maxime disponunt ⸸. Sic Piscatores, Balneatores; aliique, qui in locis humidis diu versantur, huic morbo maxime sunt obnoxii. Morbi acuti ardentissimi, et Febres longæ ‡. Omnes evacuationes nimiæ, præcipue sanguinis: inde enim virium languor, et boni vitalis succi penuria. Quamobrem Mensium, et Hæmorrhoïdum, fluxus nimius huc facit. Horum quoque obstructiones Hydropem faciunt *†, non solum retento in corpore, quod excerni debuerat, humido; sed etiam, ob vitium humoribus inde inductum. Ventriculi vitiosus habitus: ex cibis enim male concoctis, variæ in visceribus obstructiones fiunt; et corpus exsangue redditur et aquosum. Nimiæ quoque vigiliæ huc faciunt. Inter Hydropis causas nulla forsan frequentior, quam obstructiones in visceribus abdominalibus, præcipue jecore, et liene: ex horum enim integritate pendet, chyli confectio, et præparatio, urinæ secretio, et alia; quibus male procedentibus, plurimis sternitur via morbis. Pulmonum vitia, huic morbo ortum quoque dant: licet

† Hippocrates de affectionibus. Aretæus de diuturn. lib. 2. * Sydenham de Hydrope. ⸸ Ramazzini de morbis artificum. ‡ Paulus Æginetа, lib. 3. cap. 48. *† Idem, ibidem.

licet rarius forsan de iis cogitetur. Icterus ex viscerum noxa contractus, diuque immoratus, in Hydropem sæpius transiit *. Quartana sæva et diuturna †, Lienteria, Diarrhoea, Dysenteria diuturna, Cœliaca, Empyema, Phthisis, Podagra, Hydropi quoque ortum dedere ‡.

Enarratis sic morbi causis, nunc ad ejus notas deveniendum. Omnibus Hydropis speciebus communiter inest, Pallor, Spirandi difficultas, Tussis, Pigritia multa; a cibo alienatio: quod si aliquid assumant, quamvis modicum, et flatu carens; nihilominus ab eo valde inflantur; et distensiones patiuntur, quales ex saturitate fiunt. Potum autem largiorem plurimi appetunt. Corpus eorum sine sudore est. Præterea albidi sunt et effeminati *.

Sed tres supra memoratæ Hydropis species manifestius distinguuntur.

In Ascite, venter, totumque abdomen, cum quodam gravitatis sensu, intumescit; et, cum manu impellitur, sonum collectæ permotæque intus aquæ, præbet; qualis, ab utre non omnino aquæ pleno, redditur. Humor etiam, ad corporis in alterutrum latus conversiones, in locum declivem delabitur. Hic humor, incipiente morbo, intra abdominis spatium includitur: sed cum jam Magnus esse cœpit morbus, et Vetus; pars ejus aliqua, in scrotum, penem, in femora, et pedes delabitur; maxime vespere, et post corporis exercitationem. Spiritus fit difficilis, aqua sursum premente Diaphragma: unde arctato thoracis cavo, pulmones ægre sese explicant. Sitis ut plurimum vehemens, et potu vix sedanda; ut canit poeta †.

Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur, aquæ.

B Pulsus

* Nicolaus Piso de cognoscendis et curandis morbis, lib. 3. cap. 32. † Celsus de medicina, lib. 3. cap. 21. ‡ Aretæus de causis et sign. diut. morb. Ætius. Nicolaus Piso, &c. * Aretæus de sign. et causis diuturn. † Ovidius fast. lib. 1.

Pulſus, parvus, frequens, ſubdurus, atque tenſus. Urina pauca meitur; eaque fere craſſa eſt, et rubicunda. Totum corpus, dempto ventre, extenuatur. Quoque magis tumet venter, eo plus emacreſcit reliquum corpus. Subinde etiam febricula; maxime ad veſperam. Venæ admodum evidentes, in brachiis, et abdomine. Hic iſte Hydrops fere duros veтereſque, meſenterii, jecinoris, lienis, vel uteri excipit tumores; itemque ardentiſſimas febres; et ex viſcerum noxa contractam, diuque immoratam, auriginem. Idem infrequentior pueris quam adultioribus; fereque eos etiam adoritur, qui propter viſcerum ruptam, vel exeſam venam, crebro ſanguinem, vel vomitu, vel alvo, reddunt †.

Secunda Hydropis ſpecies, Tympanias ſcilicet, hiſce notis ſeſe prodit.

Venter, licet minus quam in Aſcite habeat molis; ita tamen tenditur, ut digito percuſſus, tanquam Tympanum, ſonet. Idem parum fluctuat; ſed leve murmur, ac quendam veluti rugitum, exhibet. In corporis converſionibus ſpiritus locum non mutat. Frequens ructûs deſiderium; eoque edito, levari aliquantulum homo videtur. Pedes non uſque adeo tument, ac in Aſcite, et Anaſarca. Reliquum corpus extenuatur. Venæ, in abdomine, et brachiis, admodum evidentes et conſpicuæ. Hoc malum ſæpe ſupervenit longis febribus, languoribus ventriculi, et ejuſdem ac inteſtinorum inflammationibus; et ſchirris, jecoris, ventriculi, uteri, et peritonæi. Sequitur et hoc malum ſæpius ventriculi et coli inflationes *.

Tertia Hydropis ſpecies, ſcilicet Leucophlegmatia, has habet notas.

Corpus

† Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 48. Lommii obſervat. medic. lib. 2. Aretæus de ſignis et cauſis diuturn. Nicolaus Piſo de cognoſcend. et curand. morb. * Iidem qui ſupra.

Corpus totum molli grandeſcit tumore; maxime tibiæ ac pedes. Tumor, in tibiis, et pedibus, veſpere, cum diu declives hæ partes fuere; vel poſt exercitationem, Magnus: mane autem, cum per noctem in lecto decubuit æger, minor, et pene nullus. Color corporis plerumque ex atro viridique permixtus. Venæ, obſcuræ, et nigræ. Somni ſunt, graves, torpentes, breves; Animæ deliquium. Circa minima quæque ſollicitudo. Vivendi cupiditas. Is tumor in pedibus et in reliquo corpore ſi prematur, foſſulam, quæ tarde impletur, habet, impreſſi digiti veſtigium. Venter cum cæteris partibus æque tumet. Corpus æqualiter molle, laxum, ac pallidum, eſt; idemque enerve, et languidum, minimis laboribus frangitur. Spiritus acervatim trahitur, maxime ſumptis epulis. Febris item lenta continenter afficit. Pulſus undoſus eſt, et parvus, et celer, et inequalis. Dejectio cruda et nonnunquam ſubcruenta. Urinæ, albæ, tenues, et aquoſæ *.

Hoc genus Hydropis, fere diuturnos excipit febres; vitioſumque ventriculi habitum; et nimium compreſſos, nimiumve fluentes, tum menſes, tum hæmorrhoides. Adhæc ſpiritus longam difficultatem, et immodicam vigiliam. Ac præceſſit ſanguinis pituitoſi generatio, ex cibis, potibus, et reliqua vivendi norma, aliiſque, quæ jecur, et totum venoſum genus, infrigidant. Idem pueris ſæpius quam adultis inſidiatur. Fere autem fit, ut qui ſic laborant, modo rectius ſeſe, modo pejus, eodem die habent.

Ex ſupra traditis notis, Hydrops, ab aliis morbis, facile diſcriminatur. Ut et tres ejus ſpecies ab invicem diſtinguuntur. Obſervare etiam licet; quod, in Anaſarca, pedes primo tumeſcunt; dein reliquæ partes. Aliter autem in Aſcite; pedes enim, non niſi aqua prius turgido ventre, tument. Sic ubi alter incipit morbus, alter deſinit.

Morbus hic licet facile cognitus, difficillime tamen curatur. In hoc conſentiunt medici. Hoc canunt poetæ,

Tollere

* Hippocrates de internis affect. Paulus Ægineta. Aretæus. Lommius.

* *Tollere nodosam nescit* Medicina *podagram*
Nec formidatis auxiliatur Aquis.

Hoc tristis experientia nos docet. Et hoc quidem ipso die lugemus virum optimum, doctissimum Matheseos in hac Academia Professorem; pro cujus salute, omnium bonorum fervida conspirabant vota; post omnem exhaustam supellectilem medicam; postque omnes doctissimorum medicorum frustra adhibitos conatus; indies crescente hoc malo; tandem post mille toleratas ægritudines; tristi fato abreptum.

Pauci quidem ab hoc morbo liberantur. Idque fælicitate quadam, et Deorum, potius, quam artis, auxilio.

Non autem omnes Hydropis species ex æquo pravæ sunt. Inter ipsas enim Leucophlegmatia mitior habetur; nam multæ, et variæ sunt ejus tollendæ prosperæ occasiones; sudoris, aut lotii, excretione; aut alvi nonnunquam in hujusmodi ægrotantibus copioso effluvio. Difficilis autem Tympanias. Tympania difficilior Ascites. Opportet enim medicum, hoc in morbo, totum hominem permutare, τοδε μεντοι ουδε Θεοῖσι ῥηιτερον ut ait Aretæus †. Alii autem aliter sentiunt. Ætius ‡ enim dicit, Tympanias omnino periculosus, minus eo Ascites. Idem, iisdem verbis, dicit Nicolaus Piso ⊥. De utrisque vero hisce speciebus vere dici potest, quod maxime periculosæ sunt.

Inter initia, inquit Celsus *, non difficillima Hydropis curatio, si imperata sint corpori, quies, sitis, inedia. Ideoque facilius, in servis, quam in liberis, tollitur. Quia cum desiderat famem, sitim, et mille alia tædia, longamque patientiam, promptius iis succurritur, quam quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad sanitatem perducuntur. At si malum inveteravit, non sine magna mole discutitur.

Revera quidem, si æger juvenis est, si morbus novus, a nullo præeunte morbo cœpit. Si nulla in visceribus vitii signa

* Ovidius de Ponto, lib. 1. † Lib. 2. cap. 1. ‡ Lib. 2. Serm. 2.
⊥ De cognoscend. et curandis morbis, lib. 3. cap. 32. * Celsus de medicina, lib. 3. cap. 21.

na adſint. Si vires non languidæ. Si æger alimenta bona appetit et concoquit. Si abſint, Dyſpnæa, dolor, et ſitis. Si lingua etiam a ſomno humida. Si a febre immunis æger. Si urina, potionum mutatione, vel epoto medicamento, mutatur Si venter mollis, et ſumpto medicamento movetur; nullo autem ſumpto medicamento; prout in ſanitate ſe habet. Tunc ſpes eſt aliqua futuræ ſanationis, ſi modo apta morbo accomodetur medela. Quod ſi autem æger jam gravis annis, morbo prius tentatus. Si morbus a præeunte acuto incipiens jam inveteravit. Si vires languidæ. Si male olet ſpiritus, ſputum, ſudor, et univerſum denique corpus. Si duri ſunt in viſceribus tumores, ſuis ſignis manifeſti. Si nec bona appetit alimenta, nec aſſumpta concoquit. Si adſit Dyſpnœa, Dolor, Febricula, Tuſſis. Si vehemens urget ſitis. Si lingua Arida. Si Urina pauca, atque turbida, meitur; nec potionum mutatione, nec medicamentis epotis mutatur. Si Cathartica nihil agunt, aut nimium. Tunc quidem in magno verſatur æger periculo *.

Aſt ubi, ſub infirmis viribus, incipit profluere alvus. Simulque ingens ſpirandi difficultas adſit. Ubi veluti, concretus ſanguis ab alvo dejicitur. Ubi Urina, diverſis matulæ regionibus, diverſos exhibet colores: ut ſi, inferne rubra eſt, ſuperne livida; aut contra: Tunc quidem ad extrema ventum eſt; nec ulla omnino effulget ſpes. Sed

Nox incubat atra,
Præſentemque viris intentant omnia mortem †.

Hactenus de Hydropis, cauſis, ſignis, et prognoſi.

Nunc ad id, quod ars, ad malum hocce dirum amoliendum, poteſt, deveniamus.

Jactant quidem, Agyrtæ, aliique, ejuſdem farinæ homines, artis medicæ minime gnari, certam, truci huic morbo, medelam. Sed vah! quam vana et infida illorum promiſſa. Teſtes appello ægros, quos quotidie ſpe ludunt inani. Caveant

* Nicolaus Piſo de cogn. et cur. morb. Lommii obſervat. lib. 1.

† Virgil. Æneid.

ant itaque cordati, neve hominum iſtorum nequiſſimorum fraudibus decipi ſe ſinant.

In Hydropis cura hoc maxime notandum eſt. Num ſcilicet Hydrops per ſe inceperit, an ab alio prægreſſo morbo ortus ſit. Si enim ab alio morbo originem trahit; neceſſe imprimis eſt, priori illi morbo, ſi in corpore adhuc adeſt, curando, ſedulo incumbamus. Vix enim aliter Hydropem curabimus. V. G. Si menſtrua obſtructa Hydropem produxere, tunc quidem Emmenagoga adhibenda. Si Hæmorrhoides fluere ſolitæ, jamque ſubſiſtentes; is fluxus, aptis huic ſcopo remediis, promovendus. Et ſic de cæteris. Si vero nihil horum ſit, ad Hydropem, ut morbum primarium, curandum nos accingamus.

Totum, quod Ars poteſt, hiſce comprehenditur: ut, 1mo, Morbi fomes ſubducatur, nimiuſque e corpore eliminetur Humor. 2do, Ne de novo creſcat, caveatur.

In hoc, ſicut in aliis morbis, victus ratio rite inſtituta, multum ad eum tollendum, facit. Quæ igitur, apta ſit Hydropicis, victus ratio diſcribenda.

Aerem frigidum et humidum vitet æger. Et ſi in locis humidis, paludoſis, frigidis, ſeptentrionalibus degit, pruinas vitet atque nocturna frigora; neque foras uſquam prorepat niſi ſudo cœlo; domi ſe exerceat, in locis igne calefactis; vel ad loca auſtralia ſicciora et calidiora migret. Lectus ſit non valde mollis, ſubſternanturque herbæ reſiccantes, ut Thymum, Pulegium, Origanum, et conſimiles. Somnus ſit moderatus. A venere abſtineat. Si autem tempeſtas ſinit, foras omni modo corpus exerceat, equitatione, vectionibus per mare, aut in rhæda, ambulando, pila ludendo, vel et currendo. Si ſudores exercitiis excitati ſint, per lintea aſperiora detergantur. Frictiones corporis, diuturnæ, et ſæpe repetitæ, conducunt. Sudor quoque excitandus, non ſolum

ſolum corporis exercitiis; ſed et arena calida, vel laconico, vel clibano. Sudationes quidem ſiccæ, et naturales, maxime ſunt utiles. Alvus lenis ſervanda. Cibus ſit coctu facilis. Potus, vinum generoſum, paucum. Vel potius ab omni omnino potu abſtineat. Panem biſcoctum edat. Sic enim ſubducetur, quod malum alit, humidum. Longam quidem patientiam deſiderat et mille tædia. Atqui neſcio, an aliter certius, ex Erebi faucibus, eripi poſſit æger. Neque deſunt exempla ægrorum, quibus viſcera nondum duris obſita tumoribus, cumque nondum inveteraverat morbus, hac ratione ab Hydrope liberatorum. Quæ vero maxime intoleranda eſt ſitis, nonnihil levari poteſt, os ſubinde, gratis acidis liquidis, lavando: vel Tamarindos, vel Limonium manducando; cavendo tamen ne deglutiatur. Sitis quidem, non niſi ſanato morbo, tollitur. Ut canit Horatius *

Creſcit indulgens ſibi dirus Hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi,
Fugerit venis, et aquoſus albo
Corpore languor.

Si hæc autem ægro minus arridet methodus; aut tentata fruſtra fuit; ad alia veniendum. Ut nimius e corpore eliminetur humor, Obſtructa, quantum fieri poteſt, reſeranda; tumque fluidus factus humor, vel per corporis excretoria naturalia deducendus, vel per aperturas arte factas.

Ad obſtructa, in hoc morbo, reſeranda; varia quidem adhibentur; ut ſunt Cardiaca, Roborantia, et Stimulantia. Ex horum uſu vis vitalis erigitur, ſanguinis circulus promovetur, in ultimis vaſculis ſtagnantia fere, in motum deducuntur. Alcalini ſales, tam volatiles, quam imprimis fixi, hic multum conducunt. Ut et Antimoniata, Venerea, et Mercurialia. Quæ omnia, varia doſi, pro ægri viribus, et Idioſyncraſia, exhibenda ſunt. In Mercurialibus præcipue adhibendis, maxima opus eſt cautione. Si enim, tumoribus duris

* Horatius, Lib. 2. Ode 2.

duris non resolvendis, obsita sint viscera, non solum non proderunt; sed et malum augebunt; ægrumque Orco citius detrudent. Est et alia opus cautela. Alii enim, minima quavis Mercurii particula exhibita, in Ptyalismum incidunt. Alios autem, magnis et repetitis dosibus, vix omnino movebis. Ergo caute, et lente, progrediendum.

Reseratis sic, quantum fieri potest, obstructis; nocentem laticem, per Vomitum, Sedem, Urinam, Sudorem, vel Diaphoresin, educere conandum est.

Emetica certe in hoc morbo, non solum, id quod in stomacho est, exantlando prosunt; sed etiam tenacia viscidaque agitando, et solvendo; obstructaque in vasis et visceribus concutiendo; stagnantia in motum deducendo; miros sæpe effectus produxere. Ex emeticis quidem fortiora sunt eligenda; ut monet clarissimus, et in praxi exercitatissimus Sydenhamus *. Ut V. G. Infusionis Croci metallorum sescunciam, aut uncias duas; Atque quotidie, si Ægri vires sinunt, repetenda. Ex horum usu, aquæ, non solum vomitu exantlantur; sed etiam ingenti copia per sedem rejiciuntur; quandoque etiam per urinæ vias. Idemque Cl. autor notat aquas Hydropicas non ita prompte evacuari, ubi minus tumet venter. Qua de causa monet, tutius esse, ubi minus tumet venter, Catharticis solis uti.

Aquas Hydropicas per sedem evacuari posse, multis exemplis constat. Purgantia nonnunquam mitiora exhibenda; ut manna, rhabarbarum, hiera picra, &c. nonnunquam fortiora exhibenda sunt Hydrogoga et sæpe repetenda. Ut Syrupus de rhamno, succus radicis iridis palustris, decoctum corticis interioris sambuci, vel radicis ejusdem, et ebuli, Jalappa, Scammonium, Elaterium, Mercurius dulcis. In his autem adhibendis caute attendendum, ad Ægri vires, et Idiosyncrasiam: ne nimia dosi propinata cathartica, tantas excitent turbas, ut Ægrum in vitæ discrimen trahant; Medicoque opprobrium parent. Unum quidem hic nota dignum est, scilicet, purgantia hæc fortiora sanguinem liquefacere. Ex horum enim usu diuturno, hominem licet floridum et vegetum, in palli-

* De Hydrope.

pallidum et aquosum mutabis. Ideoque caute attendendum, ne quod, alio respectu, auxiliatur, alio noceat.

Formulæ purgantium fere infinitæ esse possunt: quas quilibet pro lubitu variare potest. Quamcunque autem adhibueris, ex re erit, Laudani liquidi, vel pilularum Matthæi debitam dosem circa vesperam propinare. Sic enim compescentur turbæ a purgatione excitatæ, ægroque conciliabitur, si non somnus, quies tamen, viriumque dejectarum refocillatio.

Quando ægri vires minus validæ, medicamenta hæc sive emetica, sive cathartica, fortiora, exhibere non sinunt; præstabit tentare colluviem serosam, per urinæ vias, deducere. Nam plurima sunt exempla sic evacuati Hydropis. Quæ huc conducunt diuretica varia parari possunt. Ea autem, quorum utilitatem maxime probavit usus, parantur ex salibus fixis, alcalinis, ex vino Rhenano exhibitis; quibus variæ addi possunt herbæ stimulantes aromaticæ. Formula a supra laudato Sydenhamo in hunc finem præscripta hæc est: R. Cinerum genistæ libram unam, absinthii communis pugilla duo, infunde in vini Rhenani libris quatuor. Hujus liquoris filtrati unciæ quatuor propinandæ, quotidie, mane, hora quarta post meridiana, et hora somni, donec evanuerit tumor. Quo solo medicamento, multos, qui purgantia ferre non potuere, etiam cum de iis desperatum esset, sanitati restituit.

Diaphoresi aucta, vel excitato sudore, plurimus e corpore exprimitur humor. Multa quidem sunt, quæ diaphoresin auctiorem reddunt. Ea scilicet omnia quæ vasorum et viscerum vires augent; quæ ad partes corporis exteriores humores ducunt; cutemque liquidis transmittendis aptam reddunt. Horum vires, et operandi modum, non est hujus loci exponere. Satis erit factum meo proposito, si indicem quæ Hydropico agenda sunt, ut materia morbida per cutem transeat. Huc conducunt corporis exercitia; frictiones, aliaque quæ supra, cum de victus ratione in hoc morbo agebatur, scripta sunt. Medicamenta quoque varia propinantur sudorifica. Inter quæ penetrantiora sunt eligenda. Nam in sudorem non proclivis est Hydropicus.

Si his adhibitis remediis Aqua e corpore non exivit, plurimaque ventrem onerat et destendit; tunc quidem per vias arte factas, eam educere conandum est.

Quidam, per scarificationes, in abdomine, scroto, femoribus vel tibiis factas, Aquas paulatim educere volunt. Sed cum minimum, in corpore Hydropico, vulnusculum, per quod diu stillat aqua, sæpe in Gangrænam transit; tutius longe per aperturam in abdomine factam exhauriuntur Aquæ. Minime quidem hic cunctandum: longas enim trahere moras quam periculosissimum est. Ab aquis etenim in abdomine diu stagnantibus, Viscera iis innatantia pessime corrumpuntur. Quamprimum, igitur, post frustra tentata medicamina, si spes est aliqua sanitatis, dum ægri vires morbo nondum detritæ, instituenda est Paracentesis, loco eo, qui umbilicum inter et anterius ossis ilii extremum, medius est: et aqua omnis simul et semel ex abdomine educenda, aptato prius corpori cingulo, quo abdomen, pro ratione erumpentis aquæ, comprimi possit. Cingulum hunc descripsit, locumque aperturæ designavit certius D. MONRO celeberrimus Anatomiæ in Academia Edinensi Professor *, qui, pulchris suis inventis rem medicam multum ditavit.

Paracentesi nonnulli quidem ab Ascite liberati fuere. Sæpius tamen accidit, intus manente, in corpore, mali fomite, aquas de novo regenerari; ventremque, non longo interjecto tempore, in tumorem magnum iterum attolli, novamque aperturam postulare. Nec non etiam aqua, sive emeticis sive catharticis e corpore fuerit eliminata, de novo crescit.

Proxime igitur prospiciendum, quibus potissimum artibus eniti oporteat, ut evacuatum semel corpus, de novo non impleatur. Res quidem facilis est, aquas e corpore educere; ast earum regenerationem impedire, *hic labor, hoc opus est*.

In hunc autem finem, adhibenda sunt ea quæ labem debilitatorum viscerum tollere possunt; sive ea, causa Hydropis fuit, sive effectus. Huic scopo conducit, maxime Chalybs ejusque varia præparata, junctis simul aliis roborantibus. Ex quibus

* Medical Essays, Vol. 1.

quibus infinitæ concinnari poſſunt formulæ. Nulla autem forſan melior illa, quam, ingens illud orbis medici lumen, Boerhaavius, in libello de materie medica et formulis remediorum, deſcripſit. Quæ ſic ſe habet. R. Limaturæ ferri non rubiginoſæ, corticis Peruviani, Magellanici, ana uncias duas, radicis rhei exſiccatæ ſemunciam, vini Rhenani generoſiſſimi libras duas; f. ſ. a. Vinum medicatum. Cujus doſis unciæ duæ, ter de die, vacuo ſtomacho. Hiſce dum utitur æger, victus ei ſit ſiccus. Potus Vinum meracum. Corpus exerceat, quantum pro viribus poteſt, maxime equitando. Aliaque, quæ ſupra in victus ratione præſcripta ſunt, faciat. In quibus diu et ſedulo perſiſtendum.

Quæ ſuperius tradita ſunt, de Hydropis cura, ad eam præcipue ejus ſpeciem, quæ Aſcites dicitur, accomodata ſunt. Multa tamen ex iis, et Tympanitidi, et Leucophlegmatiæ, curandis, aptari poſſunt.

Quam autem, ſibi propriam, medelam, poſtulant hæ duæ ſpecies, nunc pauciſſimis indicabo.

Tympaniæ ſi mederi velimus, diligenter ad morbi ſedem, et cauſas unde orta eſt, advertendus eſt animus. Ex inciſis, hoc morbo defunctorum, cadaveribus, patuit, ventriculum, et inteſtina, præcipue Colon et Cæcum, mirum in modum diſtendi*. In recente Tympania, parva aquæ quantitas in Abdomine reperta fuit; atque in Tympaniticis, cùm jam inveteraverat morbus, non ultra duas aut tres libras. Obſervare etiam licet, morbum hunc ſæpius invaſiſſe poſt diuturnos animi mœrores, affectiones Spaſmodicas, Hyſtericas, Hypochondriacas, et Colicas, Abortus, Partus difficiles.

Cura igitur Tympanitidis hiſce cauſis ortæ, non ab emeticis fortioribus, non a purgantibus Hydragogis, aliiſque id genus, in Hydrope aſcite uſurpatis, petenda eſt †: hæc enim malum augebunt. Experientia nos docet, alia longe diverſa progrediendum eſſe via. Imprimis quidem vitanda ſunt omnia flatuoſa. Adhibenda Roborantia, Carminativa, et Antihyſterica;

* Memoires de l'Academie des Sciences, Vol. 17. P. 314.

† Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 48.

tihysterica; et, ad spasmos sedandos, Opium. Si Alvus constricta sit, lenissimis solvenda. Clysmata, ex carminativis ad flatus discutiendos, injicienda. Vel et Glandes ex Hiera picra, semine Cumini et Melle compositæ, immittendæ. Externe, fotus carminativi, et Balnea. Nec non ex iisdem Cataplasmata, et Emplastra; ut Antihystericum, Stomachicum, vel simile, Abdomini applicentur.

Si vero flatus, ab aqua in Abdomine putrescente, originem ducunt; iisdem mediis, et eadem methodo, tolluntur, quibus Ascites. Si ex viscerum abdominalium Vulneribus vel Ulceribus, Pus, in cavum abdominis effusum, flatus generat; Tunc quidem vix speranda est Tympaniæ curatio, nisi sanato prius viscerum vitio. Vulnerato Abdomine, Aer nonnunquam in cavum Abdominis penetrat, idemque distendit. Tractato autem, ex artis legibus, vulnere, cessat inflatio.

Ad Leucophlegmatiam curandam, fere eadem, quæ ad Hydropem ascitem, in usum vocanda. Copia namque Pituitosi humoris, per Emetica, Purgantia, Diuretica et Sudorifera, vacuanda est. Idem victus. Eadem exercitia, quæ supra ad Ascitem, præscripta.

Hoc quidem observatu dignum est; scilicet, si morbus, ab obstructis Menstruis, aut Hæmorrhoidibus fluere solitis jamque subsistentibus, cœpit; ex usu erit sanguinem detrahere. Præterea scarificationes, tutius hic adhiberi possunt, quam in Ascite. Ipse medicinæ Parens Hippocrates * jubet, si pudenda aut femora intumuerint, audacter specillo pertundere, et pollicetur ex inde sanitatem. Ad talos factæ scarificationes omnem e corpore educent aquam, atque hominem gracilem relinquent. Cataplasmata quoque acria ex Sinapi et similibus, vel Vesicantia, pedibus vel femoribus applicata, plurimam educent aquam. Quamvis neque Scarificationes, neque Vesicantia, sine periculo, adhiberi possunt, nisi incipiente morbo. Si enim Anasarca, totum corpus occupavit, atque jam inveteravit, et vires languidæ; hæc seri evacuatio subita, vasa nimium deplendo, citam accerset mortem.

* Hippocr. de internis affectionibus.

F I N I S.